

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Hermann Becker

**Programma Ipsa Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi Solennitate, Abs
Universitatis Rostochiensis Rectore Hermanno Beccero, Phil. Mag. Math. ...**

Rostochii: Keilenbergius, 1678

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73399329X>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1678. Weihn.

A-1256.²⁹.

1678.

PROGRAMMA
Ipsâ Nativitatis DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI
Solennitate,
Abs
Universitatis Rostochiensis
RECTORE
HERMANNO BECCERO,

Phil. Mag. Math. Inferiorum
Profess. Publ. Facult. Philos. hodiè
DECANO, Cathedralis it.
Templi Pastore;
P. P.

ROSTOCHII,

Typis FRIDERICI KEILENBERGII,
Academ. Typographi. An. 1678.

M. 1236 29



Redit per DEI gratiam,
Conservatoris ac Sospita-
toris nostri JESU CHRISTI na-
talis dies, sanctissimèq; veneran-
dus sistitur. Quem enim Pa-
tres, Prophetæ & Reges prioris
antiqviq; federis, ceu Majori-
bus ipsorum & ipsis promissum,
spe ferè marcescentes præstola-
bantur venturum, eum nos verò venisse jam scimus du-
dum, eoq; impensè nomine gaudemus. Ceterùm qvùm
Orbi HIC IPSE, ceteroqvin, absq; isthoe munere fuisse,
sine ullâ veniâ perituro, daretur, OCTAVIUS AUGUSTUS
Romæ sedebat ; Omnibus omnium Gentium Viris ma-
gnitudine suâ, (ut *Vell. Paterc.* loquitur) inducturus ca-
liginem. Is postqvam BRUTO & CASSIO cæsis,
nulla jam publica superstitarent arma ; POMPEJUS apud
Siciliam oppressus ; exutus LEPIDUS, interfectus ANTO-
NIUS foret ; cuncta discordiis Civilibus oppidò hactenus
vexata, & jam fessa nimis, nomine PRINCIPIS sub mode-
stum acceperat imperiùm. Erat igitur pacatus jam Terra-
rum Orbis, PRINCIPE PACIS in dias prodeunte luminis
auras. Sed enim huic ipsi AUGUSTO ex *Sibyllinis* oraculis
DOMINI & MESSIAE nostri nativitatem cognitam probè
fuisse, indeq; factitatum, ut, qvi prius esset abs cultu Judai-

co

co alienissimus, postea mutaret, magnoq; Religionem
Judæorum in precio haberet, nonnulli veterum sunt qui
volunt, & recentiorum pariter non sunt omnino nulli,
qui credunt; sed nimioperè fabulantur. Celeberrimus
Annalium Ecclesiasticorum Conditor, idemq; laboriosis-
simus, ut poterit triginta totos annos operi immoratus suo, C.
BARONIUS, sententiam non temerè rejecerit. Is enim
ubi antea super vaticiniis de venturo CHRISTO, veteri Te-
stamento comprehensis, disseruisset, tandem Apparatu ad
hos ipsos, quos diximus, Annales, Num. 18. de oraculis eodē
spectantibus, quæ apud Gentes fuerint edita, sermonem
instituit. *Consilium DEI fuit, inquit, ut longè ante CHRISTI
adventum, tante rei Sacramentum non Judæis tantum, sed &
Gentilibus innotesceret.* Recitat deinde Gentilium VA-
TES, per quos de his ipsis, quæ ventura erant, voluerit ipsos
DEUS præmonieri, MERCURIUM TRISMEGISTUM, HY-
DASPEM, atq; SIBYLLAS. Nobis hodiernâ tam illustri so-
lenniq; occasione, quâ alia afferri omnia (fatemur) poterat,
fortasse etiâ debebant, in gratiam *Annalistæ*, rem paullò
curatiûs considerare, sedet utiq; sententia. HYDASPIS
itaq; secundo abs BARONIO citati loco, vix illa vel extent,
vel visantur hodiè, præter admodum pauca, quæ Patrum
aliqvi, præcipue *Justinus, Clemens, Lactantius*, inde retule-
rint, ad rem non admodum facientia. Dein librum
integrum, iqvæ sub nomine HERMETIS TRISME-
GISTI ab aliqvot jam retrò seculis cœperit circumfer-
ri, apud nos qvidem certissimum est, nomen ineptissi-
mè mentiri, & non nisi esse planè οἰδηλον. Fuerit sine
dubio Christiani alicujus, aut, ut rectius dicamus, Semi-
christiani merum figmentum. Credere liceat, id egisse
auctorem, ut quâ plurima pietatis Christianæ dogmata,
quæceu nova & priùs inaudita rejiciebantur, probaret ab
ultimâ

ultimâ jam antiquitate Gentilibus seu sapientibus fuisse cognita, & ab illo ipso MERCURIO relata in literas; quem non solum Ægyptii, sed etiam Græci, propter vetustatem & singularem doctrinæ opinionem magnoperè venerarentur. Officiosa hæc mendacia, piæq; fraudes non abs re vocitaveris. Sed neq; propositum penitus omne rejaceris. Consilium autem nemo temerè probaverit; qvi sq; toto potius pectore detestabitur. Eruimverò indignum est existimare, veritatem divinam stare non posse, nisi vel adjuvetur, vel stabiliaatur mendacio. BARONIUM certè hic non admodum moramur, miramurvè, ceu cui VIRO falsas aut adulterinas, pro genuinis, obtrudere identidem incautioribus merces admodum solenne freqvensq; sit. Seqvuntur SIBYLLARUM carmina, qvæ aliquantò operosiorem abs nobis commentationē requirēnt. SIBYLLÆ fatidicæ feminæ multis, ante adventum CONSERVATORIS, seculis claruerunt. Sunt, qvi harum quasdam ipso bello Trojano perhibeant antiquiores. Decem vulgari censemur numero. Vixisse diversis temporibus locisq; certum est. Celebratissimæ inter omnes feruntur Erythrea & Cumana; seu Cumæa; neq; enim ulla hic discriminis subest ratio. Ceterum qvod de HERMETIS pœmandro jamjam dicere meminimus, idem hoc qvoq; loco sentire habemus ac dicere: Scilicet plurima ex istis, qvæ hodiè SIBYLLARUM nomine circumferantur, oraculis, longè post DOMIMI in hasce Terras adventum, signata scriptitataq; esse. Qvæ profectò de re, qvi saltem inspexerit, ambigere potest nemo. Sed & eruditis idem monitum observatumq; est dudum. Qvis igitur AUGUSTUM inspexisse illa ipsa de CHRISTO FEMINARUM, de quibus agimus, oracula, atq; ex iisdem adventum ejusdem cognovisse, qvin idcirco vel judæum vel Christianum

nū

nuū qvāsi factum ipsum, cum iudæis pariterque Christianis
mitissimè egisse arbitrabitur? Id qvidem negari profectò
non potest, Christianos, qvùm vix centum à morte CHRI-
STI abissent anni, & procedente dein tempore summos
etiam Ecclesiæ antitistes usos sæpenumerò fuisse SIB YL-
LINIS ceu veris (qvod mirere) testimoniis adversum.
Ethnicos, ad adstruendam fidem religioni Christianæ. At
enim Ethnici contra, uti fidem horuncce carminum ele-
varent, caussabantur, abs Christianis ficta compositaque
esse. Neqve abludebant certè, aut abludere videbantur
omniñ à scopo. Sanè enim non parum corundem
labefactat carminum fidem, qvod in eis ipsis multa re-
cipientur visanturq; de CHRISTO clariora longè & di-
sertiora ijs, qvæ à DAVIDE, ESAIA, alijsq; Prophetis de
MESSIA populo illi DEI ~~ωέιστιω~~ prædicta sunt. Usq; adeò
ut in eis reperiatur ~~ἀρροτίχης~~, de CHRISTO splendidissimè
vaticinata, cujus initiales capitalesvè literæ ordine repræ-
sentent; JESTIM. CHRISTUM. DEI. FILIUM. SERVATO-
REM. Literæ enim hæ sunt: I. X. O. R. Z., sensum haben-
tes latinum, quem diximus. Qvis hic unqnam in ani-
mum inducat suum, sanctissimos Deoq; qvam familiaris-
simos Prophetas Θεοπούλου, superatos à Feminis Ethnicis
Vaticiniorum claritudinè fuisse? Aut cui hīc non suboleat
de fraude? Credulitatem Baronianam non admodum mi-
rari denuò heic, ut supra circa Trismegistum fiebat, subit.
Subit autem mirari maximè Eusebium, cui tantum non
ad Cælum lata laudibus est, qvam diximus, ~~ἀρροτίχης~~,
qvin operosis insuper, sed potissimam partem contortis
illustrata commentariis, in vitâ CONSTANTINI MAGNI,
seu in oratione potius ejusdem, ad Cælum Sanctotum ha-
bitâ; qvam CONSTANTINI tamen esse, vix nos arbitra-
ri aut credere possumus. EUSEBII disputatio, inquit ad-
versum

versum *Baronianos* Annales scribens disputansq; VIR Summus, IS. CASAUBONIS, super vaticiniis *Sibyllarum de CHRISTO*, non valde eum movebit, qui singula cum iudicio legerit. Cui enim persuadebit EUSEB. illam Acrostichidem, quæ JESU CHRISTI nomen præfert, visam CICERONI fuisse, & in suos libros translatam? Verba utiq; Eusebii cit. l. hæc sunt: Perspicuum est Ciceronem, cùm istud forte poëma perlegisset, in latinum convertisse sermonem, suisq; scriptis attexuisse: *Qui lapsus recte meritòq; taxatus Casaubono*, ceu monstrosus ac spissus satis. Est utique, ut candidè heic quoq; mentē aperiamus nostrā, dicta ἀνθρωπίκια, commentū non minùs figmentūvē, qvā priora erant, Christianorū, ceterū mira ipsa tamē antiquitatis. Enimverò apud TERTULLIANUM, Scriptorum Patrumvē Latinorum omnium, qvotq; hodiè qvidem extēnt, vetustissimum, reperite est lib. de Baptismo cap. 1. seqventia: Nos pisciculi secundum ιχθύν nostrum JESUM CHRISTUM, in aquâ nascimur: Alludit gravissimus Scrip-
tor ad allegatam *Acrostichidē*, cuius initiales literas jam supra allegabamus hasce: I. X. O. R. Σ. signantes, ut pariter monitum jam est; Ιησοῦς Χριστός, Θεός ρός, Σωτήρ. Gentiles autē contrahendo inde formabant ιχθύς, i. e. piscis. Quasi Christus foret piscis, Christiani autem pisciculi. Hæc licet in grandem dicerentur contumeliam, lubentes tamen fassi sunt veteres Christiani: Sumus, inqviebant, pisciculi; quia, ut pisciculi nascuntur in aquâ, sic nos aquâ & Spiritu renascimur. Ista ita eū in sensū apud Tertull. Unde dignoscere est, *Acrostichidē* hanc ipsam jam ante mediū Seculū III. celeb-
tissimam fuisse. Hactenus igitur vix ullum causæ *Baroniū* suæ patrocinium invenerit. Nec in Gentilibus certè vel spei qvicquam repererit, vel solatii, qvod trahere magnoperè in usus possit suos. Sed quid, si non
pla-

planè tamen, qvod SIBYLLAS attrinet, seu ratio VIRUM
fugerit, seu fefellerit opinio. Nihil hic dissimulandum
est sanè; neq; vis inferenda Conscientia; nec malitiosè
resiliendum à vero, ut saltem dixisse Baronis videatur, qvod
minus foret verū. Celebrare utiq; referreq; SIBYLLAM est
aliqvā, non Cumæam illam qvidē, qvæ dudum incendio cum
nonnullis fors aliis perierat, sed Erythraeam magè, qvæ ex cō-
muni tamē loqvendi consuetudine Cumæa signabatur; hāc,
inquit, deprendere est, de nascituro ex VIRGINE puero,
qui toti imperitaturus orbi foret; qui deleturus hominū
scelera; qui seculum deniq; aureum reducturus, ipsi conse-
crandū æternitati; sic satis perspicuè sineq; ullis involucris
conclonantē. Qvod qvidem profecto omne, qvalecun-
que fuerit, nemo temerè Christianorum veterum com-
mentum esse, aut ψευδεπίγραφος qvid continere dixerit:
Cùm obstet gravissimorum Virorum Patrumq; auctoritas,
qui hæc utiq; omnia non de alio ullo, qvam de ipso-
met Sospitatore nostro CHRISTO & acceperunt, & inter-
pretati sunt. VIRGILIUS, malignis suspectisq; imbutus
artibus homo, nec ullam aliam, nisi boni POETÆ, ve-
ram qvidem laudem habens, cùm hæc talia, qvæ recitaba-
mus jamjam, in Cumæo carmine reperisset, legensq; atq;
aliqvantò curatiùs versans, tempus ab SIBYLLA designa-
tum, advenisse jam intelligeret, minimè assecutus dicto-
rum prorsus sublimium sensum, turpissimâ fœdissimâq;
adulatione sermonem corrupti, transtulitq; ad POLLIO-
NEM ASINIUM, vel magè ad ejusdem recens natum fi-
liolum SALONINUM; attollens omnem supra modum
versus in ECL. IV. suos; sed ita, ut qvædam subindè, Poe-
tarum more luderet, intermisceretq; de suo:

Sicelides Musæ, inquit &c. & mox.

Ultima Cumæi venit jam carminis atas,

Magnus

*Magnus ab integro Seclorum nascitur ordo;
Jam venit & VIRGO, veniunt Saturnia regna;
Jam nova progenies celo demittitur alto.*

Tu modò nascenti PUERO &c.

*Dein Puerum hunc ipsum sic affari Poetam videas:
Te Duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita, perpetuâ solvent formidine terras.*

Qvibus utiq; verbis fore prædictit, uti peccata nostra ab
hoc ipsomet PUERO deleantur. Qvæ certe omnia im-
mane quantum ab svetâ ceteroqvi POETARUM venâ re-
mota sunt! Maximus Hipponeñum Antistes, & clarissi-
mum Ecclesiæ veteris lumen, AUGUSTINUS, Epist. ad
Martianum, qvæ in ordine est 156. Non est, inquit, cui
alteri, præter DOMINUM CHRISTUM, dicat genus humanum;

*Te Duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita, perpetuâ solvent formidine terras.*

*Qvod ex cumæ i. e. Sibyllino carmine se fassus est transtu-
lisse virgilius; qboniam fortassis etiam ille vates aliquid de
unico servatore in spiritu audierit, quod necesse habuit confiteri.
Qvorum essatorum postrema (de prioribus belleres ha-
bet) tanto VIRO, tamq; eximio Ecclesiæ Doctori mini-
mè excidisse, magno nos certè velimus redemtum. Hoc
fortassis pacto fuerit & Θεόμενος MARO; qvod noster utiq;
refugit credere animus. Certumq; est, tam sublime ardu-
umq; argumentum minimè intellexisse Virgilium. Unde
etiâ factitatû, ut, qvum ad Cumæ Sibylle carmina comen-
taretur, de CHRISTO nil cogitans omnino, imò ne so-
mnians quidem, disertim, qvæ in Feminâ vate deprenderat,
alij, & quidem, uti diximus, Salonino tribuerit. Qvod si
igitur de hoc; minimè de CHRISTO accepit. Sed enim,
ut Maronë omittamus, sciscitari tamen fas fuerit, undè tan-
ta*

ta *Vati Feminæ*, tamq; incredibilis suborta lux sit? Cælestibus revelationibus instructam illuminatamvè fuisse, uti minimè credimus, sic asleveratur etiam sumus minimè. Placebit potius è *Traditionum* fontibus hæc arcessere omnia. Scilicet dubitandum vix relinqvitur, qvin ambitiosa, & ventosa, & insolens judæorum natio, qvæcunq; ipsa qvidem de MESSIA acceperat sic luculenta satis oracula, sententiamq; eorundem, continuo reliquo\$ inter Orientis populos jactaverit, ijsdemq; iverit persuasum, ex Oriente & judæâ prefecturum aliquando PRINCIPEM, qui longè esset latèq; dominatus. Itaq; *Prophetica* hæc fuerint sine dubio, minimè omnium origine *Sibyllina*, qvæcunq; de venturo Domino ac Rege, qvalis MESSIAS fuit, prædicta ab ijs leguntur. Aut prefectò nihil prædixerunt de CHRISTO vates Gentium & Sacerdotes; aut si qvid prædictum ab ijs posit videri, jam id ante prædictum à prophetis, & per manū qvasi judæorum sibi TRADITUM prodidere. Post vates alios, & ex vatibus alijs eadem eventura de re proferre, id verò non tam vaticinari ipsummet fuerit, qvam (si curatè locuturi simus) aliorum tantum vaticinia recitare; id qvod prefectò non operosum nimis atque difficile, multoq; minus cùntrā est aduvātrw. Ut inde caussari inferreq; minimè liceat, *vatem Cumæam* cœlitus illustratam, aut MESSIÆ mysteria, sine alieno interveniente subsidio, doctam tam perspicue fuisse. Ceterum ex parili TRADITIONUM, de qvibus jam agimus, fonte, illa qvoq; ve, dubio procul, sunt *Svetoniana*; *Auctor est*, scribit in vitâ AUGUSTI Historicus, *julius Marathus*, ante paucos, qvam nasceretur (AUGUSTUS) menses, prodigium Romæ factum publicè, quo denunciabatur, REGEM pop. Rom. NATURAM PARTURIRE. Et qvæ seqvuntur alia. Locus prefectò insignis est, omniq; observatione

B

dignis-

dignissimus. Respondit oraculo eventus. Nam parturiisse tunc REGEM naturam rerum, ex Christianâ abunde liquet historiâ; nempè JESUM CHRISTUM, MESSIAM REGEM. Romani sensum oraculi minimè capientes, aliovorum traxerunt, & de Rege qvidem, sed qui tantum ipsorum foret, interpretati sic satis ineptè sunt, inscitèque. Sed & memorabile porrò vaticinium, quod ante adventum CHRISTI toto orbe increbuerat; fore, ut ex Judæa oriatur, qui potiretur rerum. Hujuscè Prophetiæ injecta mentio C. Tacito Histor. V. Pluribus, ait, persuasio inerat, antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectus Judæa rerum potirentur. Quæ ambages Vespasianum & Titum prædixerant. Apud Suetonium in Vespaf. cap. 4. eadem legas. Ferre crebuerat, est ibi, Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventus possea docuit, intellectum, judæi ad se trabentes, rebellarunt. Non dimitti hæc possunt aut debent sine levicula quadam ἐπινέσει. Tacito ambages sunt, quæ recta erant via, & ipsum verum. Signari per easdem arbitrabatur Vespasianum, cum rerū series ipsarum REGEM signaret MESSIAM. Suetonio, quæ eodem de REGE capienda utiq; erant, de Imperatore Romano exponuntur: parili utrinq; cæcitate, quam non mirari hoc loco magis fas sit, vel attendere, quam supra αβλεψίαι Virgilii, aut immane potius ejusdem σύγχρονα curare memainimus. Nimio partium adulandiq; studio tribuebat Salonino Virgilius, quæ Sibylla, quanquam non ex semetiplâ, sed aliunde, extra revelationem tamen, adjuta, de CHRISTO cecinerat. Tacitus Suetoniusq; oraculorum, quæ allegant, effata, ad merum torquent hominem; quæ prono tamen ire pede videntur ad eum,

qvi

qui longè plus, & longè est, qvām merus homo, major.
Qvicqvid sit, manifestum id saltem ex dictis est, per judæorū traditiones, prophetarumq; divina vaticinia factitatū identidem, uti rerū divinarū mysteria ad ipsas etiam Gentes, ceteroqui talium ex asse ignaras, nec studiosas nimis, transmittenrunt, ipsaq; eadem in literas vicissim transferrent suas.
Qvibus in terminis si *Baronio* risisset subsistere, nemo foret temerè, qui dicam ei isthoc nomine scriberet. At enim longè ille VIR evagatus ulterius, ex Gentibus tantum non ipsos fecisse Christianos legitur; qvā ex causā in jus qvodammodo vocitari, nimiaq; accusari credulitatis merebatur. Cui quidem *Epicharmēum* illud, μέμνασθαι ἀπιστῶν, revocari identidem in animum oportuerat.
Qvā ipsā etiam tām salubri, qvām necessariā admonitione, sublestā maximē fidei Scriptor, NICEPH. CALLISTUS instruendus fuerat, qui, nescimus qvā non, de ARA ab Augusto PRIMOGENITO DEO POSITA; nec minus de HEBRÆO PUERO, oraculum Delphicum, OBMUTESCERE, TERRISq; EXCEDERE jubente, fabulosē nimis lib. i. cap. 17. nugatus est. Nil nos tutius arbitramur esse, qvām ut auream *Augustini* (qvanqvām abs semetipso non minimum hoc casū dissentientis, & qvā αρροτητὶς supra relata insinuaret, tanqvam genuina hinc indē laudantis) sequamur regulā, nihilq; firmius esse credamus ad convincendos qvoslibet alienos, si hac de re contenderint, nostrosque fulcierdos, si rectē sapuerint, qvām ut divina prædicta de CHRISTO ea proferantur, qvā in judæorum scripta sunt codicibus. Qvæcunq; enim aliorum Prophetiæ de DEI per CHRISTUM JESUM gratiā producuntur, putari facile possunt abs Christianis conficta esse. Ita sanctissim⁹ Pater de C. D.l. 18. c. 47. Sed satis, & plus fortè qvam satis, de hisce. Abs nobis, CIVES ACADEMIÆ honoratissimiſlavissimiq; quid publica

lica temporum calamitas, tum sacra hujusce FESTI solennitas exigat, id verò nec ignoratum, nec neglectum iri, confido eqvidem speroqve. Tantò autem futuri in officiò studiosius sumus, qvantò magis industriam probari DEO nostram intelligimus. Magnum utiq; est pietatis mysteriū: DEUS CONSPICUUS FACTUS EST IN CARNE. Qvod non solum privatim animis sedulò nostris, verùm etiam publicè in cætu fidelium versabimus, DEUMq; in eadem congregatione mente & vocelaudabimq; & Æterno PATRI pro misso in carnem FILIO, pro revelatâ, qvā Gentes ignorabant, veritate, pro conservatâ hactenus Ecclesiâ, pro adsertis pietatis & sapientiae studijs, devotissimas gratias a gemq; orabimus porrò, votaq; unanimes concipiemos, uti calamitatib⁹ qvib⁹ hactenq; mergimur, clementer mederi, communēq; Germanicæ REIP. navē è procelloso illo, qvo hucusq; jaqtatur, pelago, in portum tandem deducere, per & propter eum velit, cuius NATI hodiè iteratur solenniter memoria, qvemq; ceu verum יְהוָה צְדָקָה nunquam ex animo ac pectore nostro dimittemus. Vos præcipue, O STUDIOSI JUVENES, officii partiumq; vestrum probè satagetis, & qvām petulantia & intemperantia vos ordinemq; vestrum dedecet, atatemq; vestram debilitat, tam procul utramq; habebitis. Valete.

Die ipso XXV. Decembr.

Anni

1678.

Sub Sigillo RECTORATUS.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn73399329X/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73399329X/phys_0015)

DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn73399329X/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73399329X/phys_0016)



qui longè plus, & longè est, quam m.
Qvicqvid sit, manifestum id saltem ex d.
traditiones, prophetarumq; divina vatic.
dem, uti rerū divinarū mysteria ad ipsa.
tero qui talium ex asse ignaras, nec studi.
terentur, ipsaq; eadem in literas vicissi.
Qvibus in terminis si *Baronio* risisset
ret temerē, qui dicam ei isthoc nom.
enim longe ille VIR evagatus ulteriu.
tum non ipsos fecisse Christianos leg.
in jus qvodammodo vocitari, nimia.
tatis merebatur. Cui quidem *Epichar.*
so ἀπιστῶν, revocari identidem in an.
Qvā ipsā etiam tam salubri, qvām nece.
sblestæ maximè fidei Scriptor, NICEI.
struendus fuerat, qui, nescimus qvæ in
gusto PRIMOGENITO DEO POSITA.
BRAEO PUERO, oraculum Delphicu.
TERRISq; EXCEDERE jubente, i.
cap. 17. nugatus est. Nil nos tutius ar.
ut auream *Augustini* (qvanqvam abs se.
mum hoc casu dissentientis, & qvæ a.
ta insinuaret, tanqvam genuina hinc
qvamur regulā, nihilq; firmius esse cre.
dos qvoslibet alienos, si hac de re conte.
fulciendos, si recte sapuerint, qvām ut
CHRISTO ea proferantur, qvæ in jude.
dicibus. Qvæcunq; enim aliorum Prophe.
STUM JESUM gratia producuntur, puta
Christianis confita esse. Ita sanctissimo
47. Sed satis, & plus fortè qvam satis, d.
CIVES ACADEMIÆ honoratissimis va.



major.
adæorū
identi.
tes, ce.
ansmit.
nt suas.
mo fo.
et. At
us tall.
caussâ
creduli.
, μέμνα.
tuerat.
titione,
TUS in.
Lab Au.
de HE.
SCERE,
uis lib. I.
, qvām
n mini.
ra rela.
tis) se.
pincen.
rosque
cta de.
sunt co.
r CHRI.
Junt abs
D.I. 18. c.
s nobis,
vid pub.
blica